



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 3. Eucharistia realiter sumpta est-ne de necessitate medii ad salutem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Euchar. Cap. X. 179

ad salutem necessaria est, quia omitti absque peccato non potest propter præceptum, quod instat, nisi adsit aliqua ratio, quæ dispensare censeatur à præcepto. Sic necessarium est ad salutem audire Missam die Dominicâ, quia præceptum est; quamvis aliàs salus obtineri possit, cum ob grave aliquod incommodum accedit legitima non adimplendi præcepti dispensatio.

Quæst. 2. Quot modis sumi potest Eucharistia?

*Resp. Dupliciter sumi potest. Primò realiter, & verè. Secundò spiritualiter, & in voto. Sumitur realiter, cum suscipitur ore corporeo; sumitur spiritualiter, cum scilicet, quamvis realiter non sumatur, adest tamen verum illam recipiendi desiderium, quod desiderium seu votum esse potest vel implicitum, vel explicitum: votum explicitum est, cum adest vera, & expressa voluntas sumendi Eucharistiam: est tantùm implicitum, cum licet non sit expressa suscipiendi voluntas, aliquod tamen recipitur, quod in se continet hujus Sacramenti votum, seu desiderium, sic ut ait Divus Thomas; *Perceptio Baptismi est necessaria ad inchoandum spiritualem vitam: perceptio autem Eucharistiae est necessaria ad consummandam ipsam. Per Baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: & ideo ex hoc ipso quòd pueri baptizentur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam. Et sicut ex fide Ecclesia credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant Eucharistiam; & consequenter recipiunt rem ipsius, quæ est unio cum Ecclesia.**

Quæst. 3. Eucharistia realiter sumpta, estne de necessitate medii ad salutem tam pueris quàm adultis?

Resp. Non est hoc modo necessaria, ut

D. Th. 3. p.
q. 73. art. 3.
in corp.

Conc. Trid.
sess. 21, c. 4.

patet ex Concilio Tridentino his verbis: *Eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nullâ obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistia Communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa etate amittere non possunt: ac proinde Eucharistia non est pueris necessaria ad salutem, cum possint in gratia sanctificanti decedere, non susceptâ Eucharistia: ad salutem autem consequendam utique sufficit in statu gratiæ decedere.*

Neque etiam Eucharistia est de necessitate medii adultis, ut enim dicitur Marci cap. ultimò; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.*

S. Tho in 4.
dist. 9. art. 1.
in resp. ad 2.

Et ut ait Divus Thomas; *Gratia est sufficiens causa gloriæ. Vnde omne illud sine quo potest haberi gratia, non est de necessitate salutis. Hoc autem Sacramentum gratiam presupponit, quia presupponit Baptismum in quo gratia datur: & ideo quantum est de se, non est de necessitate salutis; sed de ordinatione Ecclesiæ homines obligantur, secundum Ecclesiæ statutum, Corpus Christi semel in anno sumere.*

Quest. 4. Votum proprium, & explicitum Eucharistiæ, est-ne necessarium necessitate medii ad salutem?

Resp. Non est ita necessarium: Primò, quia pueri salutem consequi possunt absque percepta Eucharistia, ut probavimus ex Concilio Tridentino, qui tamen hujus desiderii sunt incapaces. Secundò, quia illud tantum Sacramentum est necessarium necessitate medii, quod institutum est ad producendam primam gratiam sanctificantem, quæ, ut diximus ex Divo Thoma, est sufficiens causa salutis ob-